3

ORDINARIVS
SENIOR ET RELIQVI DOCTORES
COLLEGII IVRIDICI

NOBILISSIMO AC PRAECLARISSIMO

CHRISTIANO LVDOVICO STIEGLITZIO

LIPSIENSI

HONORES IN IVRE SVMMOS

D. XXVIII. IVLII CIↃIↃCCXLVII.

C O L L A T O S

INDICVNT.





Qui de coercenda litium prolixitate, Iudici aeque ac Creditori molesta, iurgiorumque forensium ambagibus resecandis ambitiose laborant cordatiores Iustitiae sacerdotes, de remediis huic malo inueniendis aliter atque aliter sentiunt. Alii religionem iurisiurandi, alii immissionem in possessionem, alii mulctam a contumace exigendam, alii poenam suadent, variisque argumentis propugnant, pauci emendam, aequissimum tamen modum, cogitant, commendant.

In qua dissentientium turba duplex quoque est Iurisprudentum familia, qui de eo in partes contrarias disputant: Vtrum tempora legibus statuta, quae fatalia appellamus, processum caussarum forensium magis promoueant, an potius retractent; adeoque illi, qui dies fatales ad terminandas lites quam maxime

 xime

xime conducere et iuſtitiae ſatellites agere credunt, horum numerum augendum eſſe cenſent, cum contra reliqui, primam diſputationis litigioſae originem a fatalibus eſſe, et partes, turbato quaſi ordine, miſſa cauſſa principali ad incidentes res deflectere, eoque ipſo nouis litibus anſam praebere, exiſtimantes, terminos omnes peremtorios, qui forum turbant, antiquandos eſſe clamitare ſoleant. Vtramque ſententiam Carneadeam, vt Tullii verbo vtamur, videri, agnoſcimus. Multum quidem intereſt, pauca habere fatalia, et Iure Conſultorum diſſenſum circa illa et formam proceſſus tollere. Et tamen temporibus iſtis, quibus actus iudiciales intra metas ſuas continentur, prorſus carere vix poſſumus. Quam diu, quamque multum diſceptari ſoleat ſuper deſertione probationis, inſtrumentorum, teſtium, remedii ſuſpenſiui aut deuolutiui, ſaepius maiori cum temporis et argenti, quam ipſius cauſſae damno, res loquitur ipſa, loquuntur acta forenſia, ad concipiendas ſententias Dicaſteriis transmiſſa. Vt alia taceamus exempla, haud ita pridem nobis pugna forenſis oblata fuit de eo: An tempus probationi praeſcriptum continuum ſit et excluſiuum, ita, vt vltimum eius momentum in diem feriatum incidens peremtorii quid contineat, an vero iuſſa probatio ſequenti die Iuridico quaſi in tempore exhibita ſit admittenda? Sententiam hanc poſteriorem rationibus

atque

atque argumentis quamplurimis defendi posse ex mente illorum, qui id, quod aequius est, amant, videamus. Primum enim, quod caput est, religio festorum dierum, et eius praecipue, qui vniuscuiusque septimanae primus atque dominicus est, iustitium aliquod, et quietem iuridicam imperare videtur, vt, excepto necessitatis casu, in hisce feriis, Numini Diuino dicatis, omnis actus iudicialis, et quaecunque opera forensis, in cuius numerum, si verum fateri volumus, et caussae patroni in delineandis ac formandis articulis labor, et horum procuratio mercenaria, et inscriptio Iudicialis haud dubie referenda sunt, cessare debeat. Grauissima Rescripti Imperatorum LEONIS et ANTHEMII verba refert *Lex fin. C. de Feriis.* „Dies festos maiestati altissimae dedicatos „nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis ex„actionum vexationibus profanari. Dominicum ita„que diem semper honorabilem decernimus vene„randum, vt a cunctis executionibus excusetur: „nulla quemquam vrgeat admonitio: nulla fideiussio„nis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio „delitescat, sit ille dies a cognitionibus alienus, prae„conis horrida vox silescat, respirent a controuersiis „litigantes, habeant foederis interuallum, simul ad se „veniant aduersarii non timentes etc. Amissionem „militiae proscriptionemque patrimonii sustinebit si „quis vnquam hoc die festo spectaculis interesse, vel

 „cuius-

„cuiuscunque Iudicis apparitor praetextu negotii pu„blici ſeu priuati haec, quae lege hac ſtatuta ſunt, „crediderit temeranda. Lex vero moralis aeterna et immutabilis diem Sabbathi ſanctificare, et ab omnibus profanis operibus et negotiis acquieſcere iubet. Quod ſi autem iudicium die ſolis et feſto eſt clauſum, nec copia Iudicis haberi poterit, laudabilis haec abſentia legitimam praebet excuſationem morae vel culpae, eiusque coercitionis, quae eſt probationis diſpendium. CARPZ. *Proc. Tit. XIII. Art. 1. n. 107. 176.* adeoque facto iudicis vel partis impeditus actor probaturus legitimum impedimentum recte allegat. NICOLAI *Proc. cap. 48. §. 13. n. 5.* et ex ſententia Iureconſulti IVLIANI in *L. 26. §. 5. ff. Ex quibus cauſſis maiores 25. annis in integr. reſt.* hi dies reſtituendi ſunt, quibus actor agere voluit, et interuentu feriarum impeditus eſt.

Porro probationis magnus eſt fauor, imo maximus, adeoque in dubio magis pro illa admittenda quam remouenda eſt laborandum *L. 12. §. fin. C. de Haeret. et Manich.* ANTON. *de* POSSENTIBVS *Singul. XLI. n. 4. CCXXXVII. n. 2.* et aequitati aliquid tribuendum, quando actor probans aliquam cauſſam praetendit, vel in principali cauſſa bono vtitur iure litigandi, quod ne periclitetur iudex benignus prouidere debet, MASCARD *de Probat. Vol. I. Concl. CXVI. n. 1.* quid quod termini peremtorii omni-

omnibus ſint odio prope nouercali, ob iniquitatem iacturae et poenam, quae inaequali lance diſtribuitur. Hoc amplius in Arbitrio Iudicis eſt, iuſta ex cauſſa poenam in contumaces, aut negligentes conſtitutam temperare, imo penitus remittere, et in locum poenae culpa maioris, mitiorem aliam, reſtitutionem puta expenſarum, ſurrogare. CARPZ. *Proc. Tit. IIX. Art. V. n. 45.* Praeterea licet ex cerebrina aequitate a iure ſcripto recedendum non ſit, ex altera tamen parte, cum euidens eſt aequitas, verba legum preſſius ſequendo contra Legislatoris intentionem et mentem agere nonnunquam Iudex poteſt. Is enim generali conſtitutione Imperatoria *L. 8. C. de Iudiciis*, ſanciuit, *in omnibus rebus praecipuam eſſe* debere *iuſtitiae, aequitatisque ſcriptae, quam ſtricti iuris rationem.* Dn. DE LEYSER. *Medit. ad Dig. VI. Spec. III. p. 28.* Nullum autem aequum bonumque colendi magis opportunum tempus apparet, quam ſicubi de ſolennibus negotiorum forenſium diebus oritur disceptatio, et lites ex litibus ſurgunt, fide quotidianae experientiae. Ignoſcenda quoque Iudici eſt denegatio, qui tempore feriarum copiam ſui neque in Praetorio, neque in aedibus priuatis facere, aut in recipiendis, ſignandisque libellis, quae aliorum ſolet eſſe licentia, ſtrepitum admittere, ſed omni diei dominicae hora ſibi ipſi, piaeque meditationi vacare amat.

Iam vero illi, qui abſente Iudice eius copiam habere non poteſt, nec culpa nec impedimentum, imputanda ſunt, ſi quando vltimum temporis conceſſi momentum, die feriato infructuoſum expirat, qui exitus fatalis ne quidem aſſeri poterit ex eo, quod licet tempus fatalium peremtorium ſit atque continuum, nec, qui in medio curſu obueniunt dies feriati illum ſiſtant, alia tamen ratio eſſe videtur in Termino ad quem, et quidem terminatiuo, quod aiunt; vbi certe, dies finalis vt ſit iuridicus, ad actum expediendum requiritur. Quemadmodum enim in toto tempore vtili ſinguli dies vtiles eſſe debent, vt agi poſſit, ſatisque ducitur, ſi tantum temporis vltimi ſupereſt quo agi queat, *L. 10. ff. de verborum oblig.* ita non imputari poteſt litiganti, ſi primis diebus temporis continui non egit, modo tantum habeat ſpatii, vt in vltimo eius puncto adhuc agendi facultas et occaſio adſit, quae eleganter, vt ſolet, diſputat Profeſſor Regius ALB. GENTILIS *de diuerſis Temp. appellat. cap. XIV.*

Quamobrem vltimum hunc termini probatorii articulum in ſequentem diem iuridicum transmitti ex eadem ratione contendunt, qua argumento Textus Iuris Canonici in *Capit. VI. X. de Dolo et Contum.* ad diem dominicum aliumque feriatum citatus proximo die non feriato comparere tenetur, quod vſus fori in quibusdam Iudiciis comprobat,

BRVNNEM. *Proc. Civ. cap. 6. n. 22.* STRYCK *Vsus Mod. ad Dig. L. II. Tit. XII. §. 9.* MEV. *P. II. Decis. 276.* et eiusdem iuris autoritate, qui prouocauit elapso etiam decem dierum tempore fatali, auditur modo non habuerit copiam adeundi Iudicem, a quo provocatur, aut eius, ad quem appellatio dirigenda, ad illius libellum exhibendum. MARTINI *Comm. ad Ord. Proc. Tit. X. §. 6. n. 160.* MYNSING. *cent. II. obs. II. n. 2.* Accedit in Saxonia Electorali LEGISLATORVM SERENISSIMORVM certa voluntas, qui in plurimis fatalium temporibus dies feriatos, et eos, quibus vel Iudicis vel partis aduersae facto, vel alio legitimo impedimento mora iniicitur, in illud spatium dierum non computandum esse iusserunt. Probat hoc Mandatum Elect. d. 11. April. 1607. quo septiduum Saxonicum definitum fuit, verb. Sieben Tage, feriatos aber nicht mit eingerechnet, Dn. C. O. MYLIVS *de Iure septidui, et septiduo Proc. Sax. Cap. III. §. 12.* quae temporis vtilis expressio licet in nouissima Lege Iudiciaria, per quam Iudiciis inferioribus Ius septidui, et patronis caussarum eius aequa lance diuisum spatium ad conclusionem alternis positionibus perficiendam, indulgetur, ad *Tit. III. §. III.* repetitum non sit, eadem tamen voluntas §. *III. ad Tit. XXIX. d. Ord. Sax recogn.* apparet, et ad relationem humillimam Praefecti Bornensis Rescripto Regio d. d. 1. Oct. MDCCXXVII.

declarata fuit verbis: Mochten es dir, nebst dem daß die Sonn- und Fest-Tage unter das gewöhnliche septiduum nicht zu rechnen sind, zur resolution nicht bergen. Cui accedit spatium Creditoribus in Concursu ad deducendum Ius crediti et prioritatis ad Tit. XLI. §. III. d. Ord. Proc. concessum, ex arbitrio quidem Iudicis ordinandum, sed habita ratione dierum feriatorum. Iuris vero Saxonici communis dispositionem docet Land-Recht *L. I. art. X. L. II. art. LXVI.* verbis: „Omnes etiam dies feriales ac ligati ad pacem omnibus hominibus sunt constituti.„ Quae rationes haud dubie mouerunt IVRE CONSVLTOS *Academiae* VITEMBERGENSIS, qui superiori anno Actorem, articulos probatorios non vltimo die Termini Saxonici, qui erat dominicus, sed proximo die Lunae iuridico, horis antemeridianis Iudici tradentem, reo licet contradicente, negligentem non fuisse pronunciarunt per sententiam in caussa C. G. K. contra M. T. S. ad senatum Ciuitatis Budissin. hoc modo conceptam:

Dieweil der lezte Tag der Beweißfrist auf einen Sonntag, an welchen die Gerichte geschloßen sind, und copia Iudicis nicht zu haben ist, gefallen, So hat Kläger, nachdem er den Tag darauf den Beweiß übergeben, sich daran nicht versäumet, sondern es wird ein anderweiter Termin zu deßen Vollführung billig angesezet.

Verum

Verum enim vero an maioris ponderis ſint argumenta, quae contrariam ſententiam cum probationis diſpendio coniunctam firmant, diſpiciendum erit. Scilicet Tempus probationi lege aut ſententia definitum, quod nemo inficias ibit, continuum eſt, in quo continui dies et ſinguli ſine interruptione, nullo excepto, currunt de momento in momentum, vt per ferias interuenientes curſus haud impediatur *L. 3. C. de dilationibus.* CONSTIT. ELECT. *XII. Part. I.* ad eamque CARPZOV. *def. VIII.* et MARTINI *Not. 15. 17.* ORD. PROC. SAX. *Tit. XX.* ibique GASP. ZIEGLERVS. Peremtorius quoque eſt, vt cum vltimi diei momento expiret, nec eo elapſo vlterius quid admittatur, CARPZ *Proc. Tit. XIII. art. 1. n. 80. ſq.* adeoque Terminus hic Saxonicus in modum praeſcriptionis ſtatutus effectum praecluſiuum operatur, in tantum, vt nec incontinenti mora ſemel commiſſa purgari queat, et in negotiis, vbi tempus pro forma eſt definitum, momenti etiam cura haberi, nec horae quidem punctum immutari debet, et non obſeruata momentanea actum reddunt irritum. Ex quo porro fluit, quod poſt terminum hunc finitum Iudex neque ex officio, quod aiunt, neque ad preces eius, qui in obſeruando fatali negligens fuit, aliud probationis tempus concedere, aut articulos probatoriales admittere valeat, ſed termino legali ſemel elapſo alteri ius eſt quaeſitum, quod ipſi in-

uito non eſt auferendum *L. I. C. de Feriis.* Iam porro certum eſt, probaturo etiam die feriato de obſeruando termino eiusque fine vigilandum eſſe, in quo legitimum etiam impedimentum, quod ex ſanctitate dierum obiicitur, facile ſuperabit. Sunt enim Lege et diuina et humana permittente cauſſae et res, quae diebus feriatis, dominicis etiam, tractari poſſunt, nimirum illae, quarum diſceptationes et actus neceſſitas poſtulat *C. 5. fin. X. de feriis L. 9. C. de feriis L. 9. C. de Epiſc. audient. L. 1. C. de feriis* et BRVNNEM. ad *h. l.* eaque omnia, quae cognitionem cauſſae nullam deſiderant, neque etiam ſunt de ſolennitate proceſſus, adeoque ob grauamen illatum prouocari, libellus tradi, citatio, inſinuatio et relatio fieri poteſt diebus feriatis, quidni etiam probatio, eiusque exemplar formatum exhiberi, cum illa inſinuatio et traditio vel ad manus vel ad aedes neque cognitionem, neque praeſentiam ipſius Iudicis, multo minus locum Iudicii expoſcat, ceu reſpondit ORDO NOSTER ad quaeſtionem C. G. Gräſens Adu. Dreſd. menſ. Nou. MDCCXX. et ex conceſſione emendatae Legis Iudiciariae Sax. ad *Tit. II. §. 4. Ord. Proc.* Actuariis ſolis etiam in priuatis aedibus et locis, vbi extra Iudicium commorantur, ſcripta ad Iudicem directa, probationes, Leuterationum et appellationum ſchedulas accipere et annotare poteſtas ſit relicta, ſola quoque oblatio articulo-

rum

rum cum copiis, absque mentione examinis teſtium, et Inſtrumentorum, ſufficiat.

Hoc itaque modo ſolenne probationis tempus, vnicum coercendae contumaciae et promouendae cauſſae remedium, ſtricte, ſed absque vllo negotio obſeruari poterit, id quod forenſis experientia loquitur. His propoſitis, quantum ad copiam Iudicis attinet, quaeſtiuncula naſcitur de eo, ſi quando omnes illi, qui iudicium conſtituunt, cum apparitore etiam et domeſtica familia, per totum diem vltimum feriatum ſint abſentes, et ipſae aedes conclauatae, adeoque inſinuatio fieri plane nequeat. Quae fortuita licet certa ratione ad factum Iudicis reſpiciant, tamen cum ob eius arbitrium abſentiae die feriato, legitima excuſatio praeterlapſi temporis legalis, ſperanda haud ſit, aliud in ipſo articulo capiendum erit conſilium, Legibus Saxonicis approbatum. Scilicet in caſu, vbi iudex inferior, cui appellationis formula ſcripta eſt exhibenda, abſens vel apoſtolos denegat, licentia prouocandi coram Notario et Teſtibus, ſpecialiter ad recipiendam appellationem requiſitis, *Conſtitutione Elect. XX. P. I.* generaliter conceditur, quod remedium *Res. Grau. de anno* 1661. *Tit.* von *Juſtitien*-Sachen, §. 30. ſub certa forma confirmant, adeoque haud dubitauimus Leuterationis quoque ſchedulam, Notario in praeſentia teſtium traditam ad ſaluanda formalia recte interpoſitam

 pro-

pronunciare ob abſentiam actuarii durante Decendio menſe Sept. 1733. Quid autem prohibet, quo minus eodem fato abſentis Iudicis exiſtente, hoc ipſum, et tempus probationis exhibitae ad declinandam negligentiæ et morae culpam, Inſtrumento Tabellionis, ad ius ſuum conſeruandum, docere queat probaturus, eoque ipſo fatum praeuenire, quam quidem coram Notario et teſtibus interpoſitam appellationem neque a *Curia ſuprema Prou. Lipſ.* tanquam a Iudice a quo, neque tanquam apud Iudicem ad quem admittendam eſſe monuerunt Iure Conſulti Saxoniae alias ſaepius diſcordantes BERLICHIVS in *Concl. LV. n. 66. P. I.* et CARPZ. *Deciſ. CCXXXIX. n. 7. ſeq. et in Proc. Tit. XVIII. Art. III. n. 14. ſequ.* de qua tamen obſeruantia in caſu, quo copia Iudicis non fuit, merito dubitamus. Quod reliquum eſt, cum homo forenſis, qui cauſſam clientis agit, temporis ad probandum conceſſi ſatis gnarus, vel ſaltem, vt in eius fine computando ſollicitus ſit, ei incumbat, in iuſtitio illo, quod ſciens volensque expectauit, praeſidium quaerere, culpam vero in Iudicem vertere iure vix poterit. Fortiora haec ſunt argumenta, quibus expugnauit reus Collegium noſtrum, vt nulla ratione habita temporis vltimi feriati probationem non admittendam eſſe verbis hoc modo conceptis diiudicauerit:

Obwohl Kläger den ihm auferlegten Beweiß jx. fol. 27. b. Vol. II. ſofort den Montag frühe über-

übergeben, und daher, weil der lezte Tag der Beweiß-Frist auf einen Sontag, an welchen die Gerichte geschloßen sind, und dergestalt copia iudicis so leicht nicht zu erlangen gewesen, gefallen, daß er bey einen dergestaltigen facto, so von seiner Culpa nicht hergerühret, nicht allein des Beweißes, sondern so gar aller seiner Ansprüche nicht entsezet werden können, in denen Gedancken stehet, in mehrern Betracht der Sontag nach Göttl. und Menschlichen Rechten ein Ruhe-Tag ist, und von allen irdischen, und weltlichen Geschäfften ausgenommen, auch

L. II. III. VII. und XI. C. de feriis.

an selbigen keine streitige Rechts-Sachen expediret werden sollen, und

LandR. L. II. ad Tit. X. und LXVI. ibique gloss.

unter die so genandten gebundenen Tage gerechnet wird, diesem nach, daß alle, in den Terminum probatorium einfallende Sonn, und Feyertage von der Beweiß-Frist abzuziehen, oder doch wenigstens, wenn der lezte Tag der Frist auf einen Sontag fiele, die expedition in dergl. actu contentiosae Iurisdictionis auf den folgenden Tag, wie etwa bey andern aus Irthum ergangenen Citationen zu geschehen pfleget, reseruiret und a termino peremtorio ad continuum nicht gefolgert werden könne, es das Ansehen gewinnet.

Dennoch

Dennoch aber und dieweil den 30. Aug. des 1745. Jahres, als der Beweiß fol. 27. praesentiret worden, die Frist zu der nachgelaßenen probation bereits Tages vorher verstrichen gewesen, und mithin Bekl. des, ex culpa actoris erlangten Rechts durch eine, wieder die Geseze laufende Deutung nicht entsezet werden mögen, vielmehr der Terminus probatorius nicht allein peremtorius, sondern auch vt nullis feriis, siue solennes siue repentinae fuerint, interrumpatur, et a momento in momentum currat, vt ne horae quidem momentum immutari possit

Carpzou. P. I. Const. XVI. def. 8.

pro continuo allerdings zu halten, dabey auch der Vorwand, daß Copia Iudicis an solchen Tagen nicht zu erlangen gewesen, ungegründet, immaßen, wenn auch die Gerichts-Stube am Sontag nicht geöffnet wird, der ablauffende Beweiß iedoch dem Richter in seinem Hauße, das Fatale zu beobachten übergeben werden können, und wenn schon Actus iudiciales iurisdictionis contentiosae, an Sonn- und Feyertagen cessiren, solches iedoch nur von denenjenigen, wo eine gerichtliche expedition erfordert wird, anzunehmen, und daher von Abwartung der Termine, und andern Vornehmungen, so in iudicio geschehen, auf die Uberreichung des, zu Ende lauffenden Beweißes nicht zu folgern, vielmehr wenn periculum in mora vorhanden, auch dies feriati dar-

zu angewendet werden können, und ebener maßen, wie bey Einwendung der Appellationen oder anderer remediorum suspensiuorum das Fatale continuum zu beobachten etc.

Et hoc quidem Iure vtimur. At vero malum est, quis negat, praeiudicialem quaestionem de contumacia vera pronuncianda liti principali moram iniicere, imo eius iactura alterius culpam expiari, a quo iam diu purgandum fuisset iustitiae sacerdotium. Sed Tricas has forenses et scopas dissolutas, vt in prouerbio est, in ordinem cogere, aut tollere eorum sit cura, qui circa forenses caussas ad beatitudinem Reipublicae bene ordinandas legislatoriam applicant prudentiam, eorum quoque diiudicationi relinquenda est iustitia illius legis singularis, quae in ciuitate Vratislauiensi eiusque iudicio aduocatiae circa fatalia obtinet. Ibi enim lapsus eorum pretio redimi potest, quo interueniente idem ad probationem admittitur, qui terminum probatorium praeterlabi passus est, et hoc iudicatum fuisse refert STRYCK in *Diss. de Iure singulari Vratislauiensi in processu Cap. III. §. 5.* Haec de Fatalibus terminis sufficiant. Nunc instituti ratio habenda, et, quod chartae adhuc superest, natalibus studiisque

CHRISTIANI LVDOVICI STIEGLITZII
LIPSIENSIS

exponendis tribuendum erit, qui natus est in hac ipsa vrbe anno huius seculi vigesimo quarto, Mense Februario.

bruario. Parente Illustri atque Magnifico, CHRISTIANO LVDOVICO STIEGLITZ, Potentissimi Poloniarum Regis et Saxoniae Principis Electoris a Consiliis rei militaris intimis et Prouocationum, Vrbis Lipsiensis Consule, cui gaudium, quod ex honoribus Filii Doctissimi amantissimique cepit, impense gratulamur, Matre vero ERDMVTHA SOPHIA gentis DOERINGIANAE, omnibus sexus sui virtutibus plurimum exornata. Prima literarum elementa a *Kriegelio*, Scholae, quae a Thoma Apostolo nomen gerit, nunc Collega Tertio, accepit, mox in disciplinam Rectoris eiusdem Scholae *Ernesti*, traditus, cui, quicquid in literis elegantioribus, profecit, se debere laeto gratoque animo profitetur, eiusque doctrina etiamsi per omne iuuentutis tempus vsus fuerit, tamen praeter eum primae aetatis magistros habuit *Poetzingerum*, Mathes. Prof. Erlang. *Leisnerum*, Rectorem Cizensem, et *Waltherum* Professorem Histor. et Eloqu. Leucopetr. In numerum Ciuium academicorum magistratum gerente *Walthero*, Facult. Med. Decano, est relatus anno MDCCXXXVII. sed triennio demum elapso in disciplinam Academicam sese contulit, et in literis quidem, quae ab humanitate nomen habent, omnibus partibus Philosophiae, antiquitatibus Romanis, Mathesi, et disserendi scribendique arte *Ernesto, Christio, B. Hausenio, Winckero, Baermanno*, et *B. Hailbronnero* magistris profecit. In Historia literaria, Statuum Europae, et Imperii Rom. Germ. a *Mascouio, Feustelio, Ioechero*, atque *Schumanno* institutus

ſtitutus fuit. Ius Naturae *Parens Optimus* ad Cocceianas Iuris Nat. et Gentium poſitiones ipſi tradidit. Ius autem Ciuile et cauſarum in foro agendarum rationem a *Bauero*, *Rittero*, nunc Profeſſore Vitembergenſi, *Maſcouio*, *Falcknero*, *Menckenio* et *Richtero* accepit. Ius Feudale ipſum *Bauerus* docuit, a *Mullero* autem Iuris Canonici doctrinam didicit. Ius denique Publicum I. R. G. *Schumanno* interprete cognouit. Sed in ea Iuris parte, quae Inſtitutorum Digeſtorumque cognitione tenetur, plurimum profuit *Wieſenhaferi*, I. V. Cand. ſodalitium, et aſſidui, ſuper praecipuis Iuris Ciuilis locis, ſermones. In publicum proferre qualemcunque doctrinae facultatem coepit ſuperiori anno in Cathedra Philoſophorum Praeſide *Erneſto: de fide hiſtorica recte aeſtimanda.* Mox in noſtro Auditorio Praeſide *Bauero: de forma ac definitione communis Saxonum manus*, diſſertatione defendenda. Eodem anno ad altiora nitens, lectionibus Iuridicis publice habitis Iuris Baccalaureus fuit renuntiatus, et facultate docendi conceſſa per ſemeſtre tempus Ius feudale interpretatus eſt, Diſſertationibus quoque priuatis ad exercendam ſtudioſam Iuuentutem inſtitutis. Poſt haec praelectionibus publicis, quas pro licentia et pro gradu vocamus, abſolutis, praeuio Examine rigoroſo et Diſſertatione Inaugurali *de Iuribus et Actionibus feudi titulo conceſſis*, absque Praeſide die XIII. Iulii huius anni defenſa, illis omnibus, quae a Doctoribus, ad Ius Ordinis noſtri quoad ſeſſionem adſpirantibus praeſtanda ſunt, ſimulque

que exſpectationi noſtrae egregie ſatisfecit. Iam ab Ordine Noſtro, vt honores in Iure ſummi absque ſolenni, qui alias in creandis Doctoribus in collegium noſtrum cooptandis, adhibetur, inauguratione, conferamus modeſte rogauit. Qua in re ipſius commodum et praemia, ſuperatis ab ipſo omnibus praeſtandis, in longius tempus remorari noluimus, et grauibus de cauſis ex hac ipſa die Diplomate ſolenni, et publico Facultatis ſigillo munito Iuris vtriusque Doctoris gradum et priuilegia ipſi largimur, ſimulque illis, inter noſtros, Doctoribus, qui ſuo loco et ordine aliquando inter eos, qui de Iure reſpondent, admittuntur, adſcribendum curauimus, quae res vt Ordini et noſtro, et reipublicae vtrique bene et feliciter cedat, precamur. Dab. Lipſiae d. XXVIII. Iulii MDCCXLVII.

